

PRÆFATIO.

pore, Romano habitu vestitus in theatrum redeat. Nempe non
 diu lucem hic libellus conspexerat, quin in Belgicum idioma
 translatus & avidè mox distractus sit, cum circa illa tempora
 inter Cartesianos & Scholasticos diversæ velitationes hîc & illic
 evenirent. At postquam Cartesiani barbarorum excursiones in-
 hibuissent, aliquo tempore satis pacatè innoxia Philosophia pro-
 prias suas res tractare potuit, ideoque nullus ferè de *Differentia*
inter Cartesianam & Scholasticam Philosophiam porro sollicitus erat.
 Verùm enim verò classicum denuo canere placuit Celeberrimo
 isti in Groningana Academia Theologo *Samueli Maresio*,
 qui licet de Philosophia Cartesii olim satis rectè senserat, (ut ex
 ejus *Dissertatione de spherulis preceptoris. Lit. E. p. 8.* patet) attamen
 irritatus, quòd ab alio Celeberrimo in incluta Lugduno-Bata-
 vorum Universitate Theologo, *Christophoro Wittichio*,
 qui olim discipulus illius fuit, in Collegio ad *Systema Theologicum*
Maresii suis discipulis habito, in quibusdam, maximè tamen Phi-
 losophicis, non tam refutatus, quàm desertus fuerit, continere
 se non potuit, quin extemplo conscriberet tractatum de *Abusu*
Philosophiæ Cartesianæ in rebus Theologicis & fidei, in quo Wittichius
 hinc inde acriter & innoxie vapulat, uti ex Wittichii Præfatione
 ad suam *Theologiam Pacificam* huic tractatui oppositam satis elu-
 cet. Oleum insuper camino addidit quidam sub nomine *Petri*
ab Andlo Batavi latens, qui prævertens *Theologiam Pacificam*
 Wittichii (in qua maximâ non solum modestiâ quam soliditate
 Maresiana de plano confutantur) strigilem huic *Abusui* valde
 acutam & dentatam injecit in *Specimine & Animadversionibus*
 contra illum editis. Tandem cum videret Maresius se contra
 Cartesianos, & universim contra illos, quos Novatores vocat,
 quibusque pro suo bene placito nomen generale Car-
 tesianorum & Coccejanorum imponit, nil quicquam dispu-
 tando & scribendo proficere, nullo alio medio melius &
 cum majori effectu vindictam ab illis sumere visum ipsi fuit,

quàm